

nus et Theophylactus. Est frequens phrasis Scripturæ, ut Tren., 4: *Captus est in peccatis nostris*, id est, propter peccata nostra. Ratio vero solum est, quia, considerato valore meritorum Christi, sufficientissimus fuit ad hæc omnia nobis promerenda; considerata vero ordine divinæ præscientiæ et voluntatis, facile etiam intelligi potest præscientiam meritorum Christi antecessisse hanc electionem prædestinatorum, ut statim explicabo. Non est ergo cur negetur hanc dilectionem habuisse fundamentum in meritis Christi, cum hoc ad majorem Christi gloriam pertineat, et magis ostendat in divina providentia perfectam justitiæ et misericordiæ rationem.

17. *Objectio. — Responsio.* — Sed contra, quia si Deus dilexit hos prædestinatos propter meritum Christi, ergo ante illam dilectionem supponitur prævisum illud meritum ut ordinandum, seu offerendum a Christo pro illis electis potius quam pro aliis. Consequens est falsum et contra dicta. Respondetur negando consequentiam; satis est enim quod in illo signo præviderit merita Christi, ut sufficientem rationem diligendi homines. Quod facile potest exemplo declarari: si enim dux aliquis vel miles bene meritis apud regem offerat sua merita, ut alicui ex filiis suis præmium aliquod, vel dignitatem rex conferat, quamvis ipse non designet hunc filium potius quam illum, sed ex voluntate principis talis electio fiat, nihilominus verissime dicitur, regem voluisse illi benefacere propter merita patris. Et in reprobatione hominum, juxta probabilem sententiam Augustini, est evidens exemplum; aliquos enim propter solum originale peccatum voluit Deus excludere a regno, quia illa est sufficiens ratio, quanquam comparatione facta non potuerit esse ratio propter quam iste reprobetur potius quam alius habens simile originale peccatum.

18. Sed hic occurrunt difficultates omnes in superioribus tactæ. Prima est, quia non potuerunt Christi merita prævideri a Deo, prius ratione quam vellet electorum gloriam efficaci dilectione; ergo non potuerunt illa merita esse ratio motiva ad talem electionem. Antecedens patet, tum quia simul omnino voluit Deus omnes prædestinatos cum Christo, in gloriam Christi; unde, sicut merita Christi non potuerunt esse ratio motiva ad volendum ipsum Christum, ita neque ad volendum alios prædestinatos. Tum etiam quia prius ratione quam Deus præciverit Christi merita, voluit

illa, et ordinare illa ad nostrum commodum seu præmium, seque obligare sub conditione talium operum, ad tale præmium illi reddendum in nobis; hæc enim omnia prærequisita sunt ad meritum, ut supra visum est; quæ autem sunt prærequisita ad meritum, supponuntur ad præscientiam meriti futuri, nec possunt sub tale meritum cadere. Rursus hæc eadem voluntas meritorum Christi supponit electionem hominum prædestinatorum, quia comparatur ad illam, sicut voluntas mediorum ad voluntatem finis; ergo de primo ad ultimum electio prædestinatorum non potuit supponere præscientiam meritorum Christi.

19. Secunda difficultas est, quia, si Christus meruit prædestinatis electionem efficacem, ergo meruit reprobis eam dilectionem simplicem seu antecedentem, qua ad gloriam ordinati sunt, ex vi cujus dantur eis sufficientia media ad gloriam consequendam; est enim æqualis ratio: hoc autem falsum est, quia unum ex mediis sufficientibus quæ ratione illius voluntatis Deus confert omnibus hominibus, est ipsum Christi meritum infinitum quoad sufficientiam; non ergo potuit tale meritum esse ratio illius voluntatis. Tertia difficultas est, quia ex his ulterius sequitur, absolute et simpliciter loquendo, Deum ordinasse homines ad gloriam, sive efficaciter, sive sufficienter, ob Christi meritum; sequitur subinde illam Dei voluntatem, qua voluit reparare humanam naturam lapsam, fuisse ex meritis Christi prævisis, quia illa voluntas, vel includitur in priori voluntate conferendi gloriam hominibus, vel certe secundum rationem est posterior illa; et consequenter multo magis cadit sub meritum Christi quam illa; hæc autem quæ inferuntur, videntur falsa, satisque impugnata argumentis contrariæ sententiæ.

20. Ad has difficultates, primum in genere concedo, omne Dei beneficium, omnemque Dei benevolentiam erga homines, cui non repugnet supponi Christi merita, saltem in æternitate prævisa ut futura, fundari in eisdem meritis, seu ista merita ut prævisa fuisse rationem seu motivum talis beneficii ac benevolentiae divinæ. Hoc enim principium est satis consentaneum Paulo, ad Eph. 1, ut supra tractatum est; estque valde consonum dignitati Christi et meritorum ejus. Deinde addo, non repugnare huic merito, quod Deus, uno actu indivisibili, simul sub aliqua consideratione nos et Christum ut hominem elegerit et præordinaverit, illum ad esse Filii Dei na-

turalis, nos ad gloriam et filiationem adoptivam. Nam ille actus, etsi in se sit unus et simplex, potest terminari ad unum objectum ratione alterius; et ita prius ratione potest terminari ad unum quam ad aliud; et hoc satis est ut possit ad unum terminari ex præscientia alterius, ut per se constat, et supra, q. 1, art. 3, ad 4, D. Thomas attigit, et ibi late tractatum est. Ex hoc ergo capite non repugnat ut, licet Deus uno simplicissimo actu nos cum Christo elegerit, et simul duratione, vel subsistendi consequentia, quatenus hæc omnia voluit cum aliqua connexionem inter se, ut dicto art. 3 late tractatum est; non repugnat (inquam) ex hoc solo capite, quod Christi merita prævisa, sint ratio illius voluntatis, ut ad electos terminatur.

21. Solum ergo relinqui videtur difficultas illa de ordine finis et medii, nam cum merita Christi, ut ad nostram gloriam ordinata, sint media, videntur supponere in Deo aliquam intentionem talis finis, cujus ipsa non sint ullo modo ratio aut motivum. Respondent aliqui, licet in nobis voluntas finis sit prior voluntate medii, in Deo autem id non esse necessarium; in nobis enim ideo voluntas finis præcedit, quia post illam volitionem excogitanda sunt nobis media, et facienda electio; in Deo autem non ita est, sed ante omnem voluntatem supponitur præscientia omnium mediorum, simul cum fine, et ideo non est necesse ut voluntas finis antecedit absolute et simpliciter, sed sat est ut in genere causæ finalis antecedit, medium autem poterit præcedere in genere causæ meritoriae. Sed hoc non recte dictum est, primo, quia, formaliter ac per se loquendo, non ideo voluntas finis antecedit electionem mediorum, quia post illam voluntatem excogitantur media, et inquiruntur ac ponderantur, et ita paulatim ad electionem proceditur: tum quia, licet hic processus sæpe intercedat, quando illa antecessio est in tempore ac duratione, tamen ad ordinem naturæ et rationis, quem nos inquirimus, non est necessarius; tum etiam quia interdum potest homo, prius quam eliciat voluntatem finis, habere præmeditata et optime cognita omnia media possibile, et nihilominus si voliturus est finem et medium, necesse est ut a fine incipiat, vel ordine naturæ, causalitatis, vel rationis, si simul et uno fortasse actu in utrumque tendit, vel certe ordine durationis, si pro sua libertate velit solum circa alterum, suum actum exercere.

22. Secundo, quia, loquendo de ordine cau-

salitatis inter res volitas, vel de ordine rationis in ipso actu, hæc enim tantum sunt quæ in divina voluntate possunt considerari, juxta hunc (inquam) ordinem, finis non solum est prior medio, in uno genere causæ, sed simpliciter in omni genere; nec intelligi potest quod medium, ut medium, in aliquo genere prius sit volitum; quia in quocunque signo et in quovis genere, solum est volitum propter finem, alioqui non est volitum ut medium; ergo, quocunque modo consideretur, necesse est ut voluntas finis ratione antecedit.

23. Tertio, videtur esse specialis ratio in merito, quia meritum non potest esse in suo genere ratio movens et alliciens voluntatem, si solum ut possibile, vel ut futurum sub conditione, præcognoscatur, sed oportet ut videatur jam exhibitum, vel saltem præcognoscatur ut absolute futurum; ergo præscientia illa, quæ antecedit omnem liberam Dei voluntatem, non satis est ad rationem meriti, seu causæ meritoriae, licet sufficiat ad rationem finis vel exemplaris, quia per illam scientiam non cognoscitur meritum, nisi ut possibile, vel, ad summum, ut futurum sub conditione; alioqui etiam posset proprium hominis meritum, sic prævisum, esse ratio suæ electionis et prædestinationis, quod falsum est. Igitur, antequam meritum moveat in ratione meriti, necesse est ut antecedit aliqua voluntas Dei, qua ordinet tale meritum, et causas ac principia ejus; hæc igitur voluntas etiam respectu Christi necessaria fuit, et antecessit simpliciter et in omni genere omnem causalitatem moralem meritorum ejus; sed in illa includitur vel supponitur voluntas dandi nobis gloriam, ut ostensum est; ergo.

24. Aliter ergo respondendum videtur, negando merita Christi tantum esse a Deo volita et ordinata, ut media per quæ homines consequantur gloriam ad quam præordinati supponantur; sed potius docendum est, sicut voluit Deus, Christum hominem Deum, per sese, propter gloriam suam, ita etiam voluisse ejus merita, et valorem operum ejus, propter perfectionem et excellentiam ipsiusmet Christi, ut ex se esset sufficiens causa, etiam in genere morali seu meriti, cujus intuitu et ratione posset Deus velle supernaturalia dona conferre, quibus aut quomodo vellet, juxta suæ divinæ sapientiæ dispositionem. Itaque in eo primo signo in quo Deus Christum voluit, non tantum voluit illum ut aptum ad merendum, sed ut actu merentem suo tempore, voluitque ut ipsius opera essent

sufficienter ordinata ad rationem meriti, quantum est ex parte ipsius Dei; unde, hoc ipso quod Deus prædestinavit Christum tali modo, talique voluntate, in ea voluntate prævidit futura ejus merita, propter quæ voluit aliis benefacere magis aut minus, juxta beneplacitum suum. Rursus ante hanc voluntatem Dei ut sic terminatam ad Christum, non est necesse intelligere priorem voluntatem terminatam ad gloriam hominum, quia aliud est velle Christum ut medium, aliud velle ipsum ut primam causam in genere meriti; Deus autem hoc posteriori modo voluit Christum in illo primo signo, non priori, et ideo non oportet præintelligere illam aliam priorem voluntatem, quia, licet voluntas medii supponat voluntatem finis, tamen voluntas causæ quasi efficientis in suo genere non supponit voluntatem effectus, sed potest illam secum afferre. Sicut etiam in eo signo, in quo voluit Deus Christum, voluit illi communicare potentiam faciendi supernaturalia opera et miracula, non quia supponeretur in Deo voluntas talium operum, et ideo voluerit communicare Christo illam potentiam ut medium ad illa opera, sed potius quia per se voluit communicare Christo illam perfectionem, ut esset, in omni genere causæ, perfectissima, quoad posset, causa, ideo ex ea voluntate consecutum est, ut ea opera essent possible, aut aliquando futura. Similiter in eodem signo prædestinavit Christum ut caput quod haberet influentiam, non tamen ut medium, neque ex priori voluntate influendi in alios, sed ut causam præcipuam in eo ordine, ad quam consequuntur tales effectus; idem ergo dicendum censeo de ejus merito.

25. Atque hinc facile est ad singulas difficultates respondere. Ad primam enim negatur assumptum, nimirum, non potuisse merita Christi prævideri ante electionem prædestinatorum. Et ad primam probationem respondetur, licet in quodam genere, seu in subsistendi consequentia, simul fuerint prædestinati omnes electi cum Christo, nihilominus in aliquo genere fuisse Christum aliis præelectum, scilicet, in genere finis et exemplaris, et similiter in genere causæ meritoria, quia ita voluit Deus simul Christum et alios, ut tamen voluerit Christum, ut rationem volendi alios, et consequenter etiam voluerit prius ratione meriti Christi, eorumque prævisionem, quam aliorum electionem, quod respectu dilectionis ipsiusmet Christi locum non habet, quia involvit repugnantiam quæ

non involvit respectu aliorum. Ad aliam vero probationem jam declaratum est, quo modo voluntas meritorum Christi non supponat electionem hominum.

26. Dices: quænam merita Christi potuerunt in illo signo prævideri, cum non potuerint in eo signo prævideri actiones et passionnes quas habuit in mortali corpore? De hac re sæpe dictum est in superioribus: quidam sentiunt fuisse merita Christi in communi seu formaliter, non in particulari seu materialiter, prout per tales actus exercentur. Sed quia non recte attribuitur Deo hic modus confusæ cognitionis, melius dicitur in eo signo fuisse prævisa merita per actum amoris Dei et proximi, qui non dependet a corpore passibili.

27. Ad secundam difficultatem eadem responsio adhibenda est; concedendum est enim illatum, quod in ea inieritur, imo ex illo sumitur prædictorum confirmatio. Eadem namque est proportionalis ratio dilectionis efficaciæ seu beneplaciti electorum, et dilectionis sufficientis seu antecedentis cæterorum; sicut ergo Christus meruit prædestinatis electionem, ita cæteris meruit eum amorem seu simplicem voluntatem, qua Deus, quantum in ipso est, vult eorum salutem. Unde, sicut propter Christum voluit Deus dare electis omnia media certa et efficacia quibus salvantur, ita cæteris voluit etiam propter Christum dare sufficientia media quibus salvari possunt. Christi ergo meritum non tam est medium sufficiens ex se ad salutem reprobatorum, quam causa omnium mediolorum sufficientium, quæ reprobo tribuuntur; et respectu divinæ voluntatis, est ratio seu motivum inclinans eam ad illam voluntatem. Vel potest meritum Christi dupliciter considerari, primo, secundum se et absolute, prout est quædam perfectio moralis Christo conveniens, tum ex dignitate sua, tum ex præordinatione divina, ut ex se sit sufficiens ad obtinendum a Deo quodlibet supernaturale bonum gratiæ sanctificantis, et istam Dei benevolentiam impetrandam; et ut sic, negatur esse medium, formaliter loquendo, sed objectum per se amatum, seu coamatum ipsi Christo, ut universali ac primæ causæ in genere meriti. Secundo, potest Christi meritum considerari ut peculiari aliquo modo ordinatum, et quasi applicatum ad salutem hominum sufficienter operandam, et, ut sic, potest dici medium; tamen, quia hæc ratio supponit priorem, ideo difficultas tacta non procedit.

28. Ad tertiam difficultatem concedo, omnem divinam voluntatem, qua ordinavit homines in supernaturalem beatitudinem, fuisse in Christi merito fundatam; hæc enim voluntas non est nisi vel electio efficax prædestinatorum, vel voluntas antecedens erga cæteros; utraque autem fuit ex Christi meritis, ut ostensum est. Idemque consequenter fatendum est de voluntate reparandi homines lapsos; hæc enim voluntas comparatur ad priorem, ut voluntas ejusdem particularis medii, ad voluntatem finis, et ideo multo magis supponit meritum Christi prævisum, ut rationem et motivum universale benefaciendi et benevolendi hominibus. Neque contra hoc urgent testimonia adducta in confirmationem alterius sententiæ. Nam testimonia sacræ Scripturæ, vel solum probant voluntatem redimendi genus humanum respectu hominum redimendorum fuisse ex sola misericordia, quod verum est, etiamsi respectu Christi aliquam habuerit rationem justitiæ. Vel probant primam originem hujus beneficii fuisse Dei charitatem, qua voluit Unigenitum suum dare, ut in natura assumpta esset caput ac princeps rerum omnium; ex hoc enim beneficio cætera omnia manant, quatenus ad supernaturalem ordinem gratiæ aliquo modo spectant. Et hoc posteriori modo potest etiam intelligi testimonium Augustini, quanquam eo loco solum intendit docere, Deum ita odisse in nobis culpam, ut tamen diligeret naturam, ideoque eam dilectionem, quam nobis exhibet cum culpam remittit, supponere aliam priorem, qua nobis dat esse, nostramque diligit naturam. Ad rationem vero illius sententiæ dicendum est, nos supponere Christum esse prædestinatum per se primo, et ante omnes, et in omni genere primatum in divina mente ac voluntate habuisse, atque ita sine inconvenienti fieri potuisse, ut ipsamet ordinatio redemptionis nostræ in ejusdem Christi meritis fundamentum habuerit.

29. Potest autem hoc loco, ut res tota melius explicetur, solvaturque facilius difficultas in illa ultima ratione tacta, applicari distinctio in præcedentibus conclusionibus insinuata. Nam remedium et medicina peccati hominum dupliciter potest considerari: uno modo, in genere et absolute; alio modo, in particulari, et secundum eum peculiarem modum quo a Deo ordinatum est, comparando illum ad infinitos alios modos quibus posset Deus homines redimere. Quamvis igitur meritum Christi prævisum, ex se fuerit sufficiens ratio ad

inclinandam divinam voluntatem, ut vellet hominibus remedium ac medicinam peccati tribuere, et ex se fuerit etiam sufficiens medium ad quodlibet remedium, quantumvis perfectum et excellens, obtinendum, tamen, quod, præviso illo Christi merito, Deus hoc remedium præ aliis elegerit, et quod hoc remedium per Christum exhibendum fuerit, per tales Christi passionnes, et per illum modum quem ipse sua mirabili sapientia præfinit, hoc non fuit ex Christi meritis, sed ex sola divina voluntate, quia non fuit admirabile inventum humano ingenio, aut voluntate Christi humana excogitatum aut dispositum, sed fuit divinitus inventum, et intuitu meritorum Christi dispositum. Atque hac ratione speciali jure tribuitur misericordiæ divinæ, ac beneplacito Patris, quod Christum nobis dederit, non solum in caput et principem, sed etiam in Redemptorem; et similiter in illius admirabile consilium et voluntatem referendum est, quod ordinaverit ut Christus in corpore passibile veniret, et per passionem homines redimeret; hæc enim non sunt per Christi meritum aut humanam voluntatem definita, sed per voluntatem Patris, licet non absque intuitu meritorum Christi, ad ostensionem justitiæ perfectæ, quæ in illis virtute continebatur, juxta illud ad Rom. 3: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ.* Recte enim intelligi potest non solum effectum remissionis peccatorum per Christum, sed etiam propositum ipsum dandi nobis talem propitiatorem fuisse ad ostensionem justitiæ tam in remedio proposito ac definito, quam in ratione et motivo proponendi illud; et hactenus de electione.

30. *Christus fuit causa meritoria nostræ prædestinationis.* — Ultimo tamen dicendum est, etiam esse Christum causam meritoriam nostræ prædestinationis. Hæc colligitur ex citato loco Paul., ad Ephes. 1: *Prædestinavit nos per Jesum Christum.* Illa enim particula, *per*, causam meritoriam designat, ut declaratum est, et colligitur satis ex Concilio Tridentino, sess. 6, c. 3, 4, 5 et 6. Loquitur autem Paulus de tota prædestinatione; eo enim modo tribuit prædestinationem meriti Christi, quo tribui non potest meritis ipsius prædestinati; potest autem prædestinatus mereri unum vel alterum effectum prædestinationis suæ. Christo ergo non tribuitur meritum prædestinationis propter unum vel alium effectum, sed propter totam prædestinationem; et

ideo addit Paulus hanc prædestinationem factam esse *secundum consilium voluntatis Dei*. Quod proprie de integra prædestinatione dicitur, nec Paulus unquam usus est voce prædestinationis in alia significatione; quin potius, ad Rom. 8, distinguit prædestinationem a singulis effectibus ejus; quæ expositio est consentanea Augustino locis supra citatis, et aliis expositoribus. Ratione probatur ex dictis, quia Christus meruit dilectionem efficacem prædestinatorum; sed tota prædestinatione eorum ex hac dilectione nascitur; ergo meruit etiam prædestinationem. Secundo, quia Christus meruit omnes effectus gratiæ, qui ex particulari Dei providentia fiunt circa prædestinatum; sed qui hæc omnia meretur, meretur totam prædestinationem; et si aliquis posset sibi hæc omnia mereri, mereretur prædestinationem suam; ergo.

31. *Obiectio. — Responsio. — Naturalia quæ et quomodo Christus nobis meruerit.* — Sed contra, quia Christus non meruit prædestinationis omnia media per quæ consequuntur suam salutem, quia non meruit incarnationem, quæ est potissimum medium; sed mereri prædestinationem, est mereri alicui omnia media suæ salutis. Et confirmatur, quia multa bona naturalia, quatenus ad salutem conferunt, sunt effectus prædestinationis, ut nasci hoc tempore, hoc loco, ex his parentibus, cum hac complexione; sed hæc non oriuntur ex Christi meritis, sed ex ipsa dispositione et naturali cursu universi; ergo. Respondetur ad argumentum, incarnationem potius dici causam salutis prædestinati, quam proprie medium, quia incarnatio non est amata seu electa ex intentione efficaci dandi vitam æternam prædestinato, sed per se fuit primario amata. Et quamvis demus, vel incarnationem, vel passionem esse ordinatam ex intentione generali salvandi genus humanum, non autem ex particulari dilectione prædestinatorum, media autem prædestinationis dicuntur, quæ ex hac dilectione procedunt. Quocirca illud argumentum solum concludit, Christum non meruisse nobis omnes causas nostræ salutis, neque omnem supernaturalem providentiam gratiæ; non inde tamen fit non meruisse prædestinationem nostram, quia ad hoc satis est mereri prædestinato omnem gratiam, quæ illi confertur, et omnia media particularia per quæ generales causæ vel remedia gratiæ illi applicantur. Prædestinatio enim significat specialem rationem divinæ providentiæ, per quam electus infallibiliter perducitur ad vitam æter-

nam. Quapropter, qui negant Christum esse causam nostræ prædestinationis, solum quia non fuit causa suæ incarnationis, non recte loquuntur, quamvis in solo modo loquendi a nobis differre videantur. Ad confirmationem respondetur, Christum Dominum etiam illa naturalia dona nobis meruisse, quæ ad salutem æternam conferunt, quatenus ex speciali intentione et electione prædestinati conferuntur; sicut enim possumus hæc bona promereri et impetrare in Christo et per Christum, ita etiam, cum sine merito vel oratione nostra dantur, possunt propter meritum Christi dari. Quis etiam neget, aut mori in tali tempore et loco naturale esse, aut non sæpe dari propter Christi meritum, cum hoc sæpe ad donum perseverantiæ pertineat? Licet ergo effectus naturales ex dispositione causarum naturalium proveniant, tamen, si ad prædestinationem pertinent, illamet dispositio causarum, sicut sub prædestinationem cadit, ita et sub meritum Christi.

## DISPUTATIO XLII,

In duas sectiones distributa.

## DE HIS QUÆ CHRISTUS MERUIT ANGELIS.

In hac disputatione brevius quam in præcedentibus agendum est, quia res est minus certa, et ideo unica fere sectione, examinabimus an Christus meruerit Angelis, et quid illis meruerit; nam hæc duo vix possunt disputando seungi; deinde tamen occasione hinc sumpta, videndum erit an possit Christus aliquo modo dici Redemptor Angelorum, vel, quod idem est, an pro illis satisfecerit.

## SECTIO I.

*An Christus meruerit Angelis omnia dona gratiæ et gloriæ.*

1. Prima sententia negat Christum Dominum Angelis aliquid meruisse, præsertim gratiam et gloriam. Ita videtur sentire Bonavent., in 3, d. 43, art. 2, q. 3, dum negat Christum influere gratiam in Angelos; Paludan., q. 1, art. 3; Durand., q. 2; Alens., 3 p., q. 12, memb. 2, art. 3, § 5, dum affirmant Christum habere influxum gloriæ accidentalis, et aliquarum illuminationum in Angelos; de alio vero influxu gratiæ omnino tacerunt; D. Thomas etiam, hac 3 p., q. 8, art. 4, solum in communi dixit Christum aliquid influere in homines et Angelos, et q. 59,

art. 5, negat Christum judicaturum Angelos quoad præmium essentielle, sed tantum quoad accidentale; quanquam hic locus parum urgeat, ut patet ex ratione quam ibi subjungit in corpore, et ad primum, scilicet, quia iudicium illud consummatum est ante incarnationem, et non est iterandum; unde ad eundem modum loquitur de judiciis particularibus hominum factis ante incarnationem, vel ante diem iudicii, ut ibidem patet, art. 4, ad 3, et art. 5, ad 1 et 2. Expressius tamen in 3, dist. 13, q. 2, art. 2, hanc tenet sententiam, et q. 29 de Verit., art. 4, ad 5, et art. 7, ad 5: et in eadem sententiam inclinat Dried., tract. 2 de Captiv. et redempt. gener. human., c. 2, part. 3, art. 5, fol. 51, quamvis addat Christum non meruisse gratiam Angelis removendo ab illis peccatum. Et probatur primo, quia Scriptura sacra nunquam dicit Christum venisse propter Angelos, ut eis gratiam et gloriam mereretur; quin potius ipsemet Christus dicit se reliquisse nonaginta novem oves, et venisse ad quærendam unam ovem perditam, Matth. 28, et Luc. 15; quibus locis Ambros., Anselm., Beda, Theophyl., et alii, et Gregor., homil. 34 in Evangelia, exponunt de divino Verbo, quod, relictis in cælo Angelis, ad quærendam humanam naturam lapsam descendit; non ergo venit ut Angelis mereretur, neque ut eos ad suum ovile aggregaret. Unde, Act. 4, de hominibus dicit Petrus, et non de Angelis, non esse *sub cælo aliud nomen nobis datum, in quo oporteat nos salvos fieri*; 1 ad Timot. 4, dicit Paulus Christum esse salvatorem omnium hominum, maxime fidelium; de Angelis vero nihil dicit. Confirmatur ex illo ad Hebr. 2: *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confunditur eos fratres vocare*; et infra: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*. Quibus verbis requirit Paulus inter sanctificantem et sanctificatos, vel originem ab eodem parente Adamo, vel (quod idem est) communicationem in eadem natura, ut exponit Adamus; et similiter inquit ideo induisse nostram naturam, quia futuri eramus fratres ejus, et spirituales filii; hoc enim est quod ait: *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, etc.* Unde statim subjungit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit*. Ex quo testimonio ita concludi potest ratio: nam qui sanctificantur per merita Christi, sunt pueri et fratres Christi, et communicant cum illo in carne

et sanguine, ut Paulus dicit; sed Angeli non sunt hoc modo fratres Christi, non enim habent carnem et sanguinem, neque illis assimilatus est Christus; ergo non sunt illius merito sanctificati; et ita Chrysost., Theophyl., et alii, ibi per sanctificatos a Christo solos homines intelligunt.

2. Secundo, videtur colligi hæc sententia ex modo loquendi Patrum; ubicunque enim explicant quid profuerit Angelis Christi adventus, nihil aliud dicunt nisi per Christum esse reparatas sedes Angelorum, hominibus ad illas implendas assumptis, ex quo effectu magnum gaudium accidentarium ad sanctos Angelos redundavit, et novam quamdam ac singularem amicitiam cum hominibus contraxerunt. De merito autem gratiæ et gloriæ nihil omnino dicunt, ut videre licet in Chrysost., Theodoret., et Theophyl., Anselm., Beda, et aliis exponentibus verba illa ad Ephes. 1: *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt*; et illa ad Coloss. 1: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive que in terris, sive quæ in cælis sunt*. Et ad eundem modum loquitur August., in Enchir., c. 61, 62, 63 et 64; et Gregor., 1. 28 Moral., c. 6 et 7, alias c. 14; et Ambrosius, serm. 10 in Psal. 118. p. 3, qui multum videtur favere huic sententiæ, dicens: *Habemus aliquid quod fortasse Angeli non habeant; ubi enim abundavit peccatum, superabundavit et gratia; nobis est natus Christus ex Virgine; legimus enim: Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis; nobis carnem suscepit, imo potius nos in illa carne suscepit, quando Filium hominis in Dei sede constituit; non lego Angelos in Dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes; non lego Angelos, sed homines consepultos Christo, et in Christo resuscitados. Denique ait Apostolus, quia conviticavit nos in Christo, cujus gratia estis salvificati, et simul suscitavit, simulque sedere fecit in cælestibus cum Christo Jesu*.

3. Tertio, possemus argumentari ratione sumpta ex ordine prædestinationis, si verum esset Christi meritum solum fuisse præordinatum et prævisum post præscitum originale peccatum, quia totum negotium Angelorum intelligitur consummatum ante peccatum Adæ prævisum. Nam prius intelligitur prævisum peccatum Angelorum quam Adæ, quia fuit aliquo modo causa illius. Denique gratia et gloria Angelorum independens fuit a pec-